Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS DE JURE CLAVIUM.

Quam

AUSPICE DEO

EX DECRETO ET AUTORITATE

MAGNIFICI ET AMPLISSIMI

IN ILLUSTRI ARGENTORATENSIUM UNIVERSITATE JURISCONSULTORUM ORDINIS

PRO LICENTIA.

Summos in utroque Jure honores & Privilegia DOCTORALIA legitime conſequendi, Solenni Eruditorum Examini ſiſtit

JOHANNES LUDOVICUS Behrens/
Cellâ Lüneburgicus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ad diem 19. Menſis Maij h. lq. conſv.

ARGENTORATI,
Literis GEORGII ANDREÆ DOLHOPFFII,
Imprimebat JOHANNES Schütz.

Anno M. DC. LXX.

VIRIS
ILLUSTRIBUS AC GENEROSISSIMIS

DN. HENRICO ab Alefeld/
Equiti Aurato, ac Colonello S. R. M.
Danicæ, Domino in Lehmkuhlen &
Lindaw &c.

DN. OTTONI GROTEN
Sereniſsimi Principis ac Dn. Dn.
JOHANNIS FRIDERICI,
DOMINI mei Clementiſsimi, Ducis
Brunſv. & Lüneburg. &c. &c. Conſiliario intimo &c. Domino in Wedesbüttel/Dreyſtädte/ Jünde &c.

Dominis Mecænatibus ac Patronis omni honore proſequendis

in

Debitæ ſubmiſsionis, promptiq; obſequii teſtimonium

Hanc Diſputationem Inauguralem
Offert & Conſecrat
JOHANNES LUDOVICUS Behrens.

Q. D. B. V.

DISSERTATIONIS INAUGURALIS
De
JURE CLAVIUM

THESIS I.

POſtquam cura mea aliquot per annos circa illud unicè fuit occupata, ut accuratiori tàm Philoſophiæ Practicæ quàm juris civilis cognitione animus imbueretur; id mihi negotii hoc tempore datum eſſe credidi, ut publico aliquo ſpecimine ſatisfacerem Ampliſſimi ordinis JCtorum decreto, quo exantlatis ordinariis examinibus diſputationem inauguralem habendi licentia fuit conceſſa. Cum verò ad hoc propoſitum, argumentum aliquod neceſſarium mihi eſſe viderem, in ſelectu diu hæſi, quod quædam vulgaria, multorumque jam ingeniis elaborata, quædam verò parum utilia, foroque trita viderentur. Tandem materia *Juris clavium* obvenit, quæ cum ſit uſus frequentioris, ac præterea in catalogum materiarum hactenus haud elaboratarum à Dn. Dithern *in Præfat. ad theſ. pract. Chriſtoph. Beſold.* referatur, circa eam ingenii mei vires experiri volui, quas ſi inſtituto non ſemper pares attulero; Benevolus Lector tenuitati ignoſcet.

II.

Antequam autem ad rem ipſam accingamur, operæ pre-

36

tium facturi videmur, ſi de ipſa voce clavium nonnulla præmittamus. Nec enim à JCto alienum, Grammaticum ſimul agere, inque vocum originem paulò accuratius inquirere; præeunt enim nobis hac in re lumina JCtorum Ulpianus in *l.* 1. *pr. ff. de poſ.* Paulus in *l. inſtitor eſt* 18. *ff. de inſtit. act. l. Exceptio eſt* 22. *ff. de Except.* & Imp. Juſtinianus in *l.* 3. *&* 4. *C. de V. S.* & in §. 5. *inſtit. quibus mod. jus patriæ pot. tollit*, quod ipſum priſcosq; JCtos, ut alia plurima ex ſumma ſtoica ſapientia hauſiſſe, arbitratur Clariſs. Dn. Feldmann. *de jure rerum c.* 1. §. 2.

III.

Etymologia itaque vocis primo omnium inveſtiganda. Atque ut Iſid. *lib.* 20. *c.* 13. putat, clavis dicta, quod claudat atque aperiat. Feſtus verò, referente Voſſio in Etymologico in voce *clavis*, claudere & clavis ex Græco deſcendere autumat. Et quamvis Fungerus in Etymologico neget, ſe videre, quo pacto id Feſtus ſit probaturus, tamen Magnus Voſſius dicto loco quodammodo Feſto adſtipulari videtur; Dicit enim, Feſtum ſine dubio ſenſiſſe, claudo eſſe vel à κλειδόω, quod idem ſignificet ac κλείω, hoc eſt claudo, vel κλάζω quod Doricum pro κλείζω quod eſt claudo; Ita etiam Feſtum ſenſiſſe, clavis eſſe à κλάξ pro κλεὶς inſerto *υ* conſono, quomodo à λεῖος ſit levis. Porro pro claudo etiam dicimus cludo *αυ* in *υ* converſo, qua ratione à caupa eſt cupa, a fraudo, defrudo Juven. *Satyr.* 3.

Divitis hic ſervi cludit latus.

Juſtin. *lib.* 5. *Haſtæ cuſpide ita in fronte vulneravit, ut ſanguis aliter cludi non poſſet.* Hinc Janus forſan dictus *Cluſius* quaſi *Clauſius*, quia pace ejus portæ clauduntur, quemadmodum, quia eædem bello patent, Janus inde Patulcius dictus eſt. Ovid. *lib.* 2. *Faſt.*

Inde vocor Janus, cui cum cereale Sacerdos
Imponit Libum, farraq; mixta ſale.
Nomina ridebis: modo namq; Patulcius idem,
Et modo ſacrifico Cluſius ore vocor.
Scilicet alterno voluit rudis illa vetuſtas
Nomine diverſas ſignificare vices.

Alii

Alii vocem clavis derivant à *clam*, quod, quæ celare volumus, hæc claudere ſoleamus. Calepin. in voce *clavis*. A clave dictum conclave. Feſtus; *Conclavia dicuntur loca, quæ una clave clauduntur*. Donato verò *conclave eſt ſeparatior locus in interioribus tectis, quod intra eum locum multa, & cubilia clauſa ſint adhærentia triclinio*. Plautus dixit: *Conclavium mihi pervium facitis*. Aul. act. 3. Sc. 2. Hinc etiam eſt *clavicula* diminutivum, & claviger κλειδοφόρος qui fert claves.

IV.

Clavis Synonymica erunt pauciſſima aut ferè nulla, niſi, quod verbo claudere correſpondeant *occludere*, ut Cic. *occludi tabernas jubes. Quæſtus occluſis tabernis minui ſolet*. Item *Recondere*. Ut *qui tectis reconderet atque cuſtodiret victum*. Cic. *intercludere aditum ad aliquem locum*. Idem. Gallicè dicitur *clef*. Ital. *chiave*, Hiſp. *Llave*. Germanice ein Schlüſſel & hinc ein Schloß idem quod ſera, aut arx ein Schloß/à ſchlieſſen/quod arces ſint clauſæ daß ſie mit Mauren/ Wällen oder Gräben beſchloſſen ſind.

V.

Homonymia voculæ clavis eſt varia, egregiasque aliquot parit ſignificationes. Etenim (1.) in ſenſu proprio ſignificat rem talem, qua oſtia, arculæ & id genus multa & clauduntur & aperiuntur. Calepin. *in Lex. voc. clavis*. (2.) ſumitur pro poteſtate ſacerdotibus competente in condonandis vel rètinendis peccatis, diciturque hoc ſenſu clavis ſolvens & ligans der Binde und Löſeſchlüſſel. Hancque clavium poteſtatem Salvator mundi JESUS CHRISTUS dedit Apoſtolis omnibusque eius Succeſſoribus, verbi divini miniſtris Math. *16. v. 19.* Math. 10. *v.* 10. Joh. 20. *v.* 23. Et hæ ſunt illæ claves, quarum traditione Pontificibus Romanis, ut legitimis Petri Succeſſoribus, omnem poteſtatem, tam Eccleſiaſticam, quam civilem in Imperatorem, Reges & Principes tam Chriſtianos, quam Paganos, imo in omnem omnino creaturam & totum terrarum orbem conceſſam eſſe, Jacobus de Terrano *in tract. monarchiali*, Auguſtinus de Ancona, Felinus, Hoſtienſis cæterique Canoniſtæ vetuſtiores communiter aſſerunt, quorum tamen nugas ac blaſphemias dudum

riſit & ex profeſſo refutavit Carolus Molinæus *in Commentario ad Edictum Henrici II. Regis Galliarum contra abuſus curiæ Romanæ* &c. (3.) Clavis accipitur pro victoria, quam Chriſtus reportavit ſupra mortem & infernum. Ipſe enim dicit Apoc. 1. v. 18. *Ego habeo claves mortis & inferni.* (4.) etiam clavibus denotatur ipſa poteſtas claudendi & aperiendi: Die Schlüſſel bedeuten die Herrſchafft vnd Vollmacht auff- vnd zu zuſchlieſſen / welcher Meinung ſie auch dem zweyſtirnichten Jano zugeeignet werden Dn. Ditherr *in Spicilegio ad Theſaur. Pract. Beſold. lit.* S. (5.) Prædicatur clavis de civitate aut fortalitio in confinio alicujus regionis, aut ad mare vel celebrem fluvium ſito; Ita haud rarò eo ſenſu loquentes audimus: Die Statt / die Veſtunge iſt der Schlüſſel deß Reichs / ac eo modo Bizantium poſſit vocari clavis Europæ, Aſiæ & etiam Africæ, ob commoditatem ſitus. Indigitare id videtur Excellentiſſimus Conringius cum *in Not. ad Machiavellum cap. 3. pag. 23.* ita diſſerit. *Cauſa translatæ à Turca ſedis regiæ Conſtantinopolim vera eſt ſitus urbis opportunus imperio ex Aſia in Europam, Africam & per omne mare mediterraneum diffundendo.* Ita portus Havana eſt clavis Americæ. Nam hoc portu Hiſpani Americam velut clave quadam, & ſibi aperiunt, & exteris nationibus claudunt Geórg. Horn. *Orbis Polit. c. 3. n. 12.* Eodem modo Reſpublica Veneta duo habet clauſtra, mare Corfu contra Turcas, Terram novam Palmam contra domum Auſtriacam, & Corfu eſt clavis maris Adriatici, Nova Palma eſt clavis fori Julii perfectiſſimum exemplar artis fortalitiæ. Georg. Horn. *in Orbe Politico c. 4. n. 13.* (6.) denique clavem in conſtitutionibus Cæſarum legi, ac nomen cujusdam indictionis, extraordinariique tributi eſſe, exiſtimat Alciatus *in notis ad Tacitum pag. 566. n. 50.* qua de cauſa etiam in lib. 12. Codicis Juſtin. reperiri rubricam in hæc verba; *de Prætoribus, & collatione, & gleba, & clavi, & pholle, & ſeptem ſolidorum functione.* Quæ verba aliter accipit Forcatulus 8. *Necyomantia 5.* Sed refutatur à Gothofredo in Notis *ad d. Rubr.*

VI.

Præmiſſis ita variis vocabuli clavis ſignificationibus, nullius jam erit negotii, definitionem ſaltem nominalem ſuppeditare. Fru-

re. Fruſtra enim laboraremus, ſi ante totius argumenti plenam diſcuſſionem de perfecta & accurata definitione tradenda vellemus eſſe ſolliciti. Nicolaus Bœrius *tract. de cuſtodia clavium num.* 10. ex Zenzelino hanc affert definitioné, quod ſit *inſtrumentum, ſeu miniſterium, quo clauſum aperiatur*, ſed cum non tantum clavis ad aperiendum, ſed etiam claudendum inventa ac excogitata ſit, imperfectior definitio videtur eſſe; quanquam ipſe Boerius *d. l.* addat, *quia principaliter eſt ad claudendum & ex conſequenti ad aperiendum.* Hinc itaque talis confit definito: *Clavis eſt inſtrumentum ad promendas & recondendas res noſtras ſecuritatis cauſa inventum.*

VII.

Definitionem nominalem proximè excipit diviſio: Et claves quidem olim apud antiquiſſimos Græcos duorum generum fuiſſe, ſcribit Cl. Salmaſius *in Exercit. ad Solinum, tom.* 2. *pag.* 932. videlicet *βαλανάγρας* & *λακωνικάς.* Illæ erant longiores & unico dente, quæ *βάλανον* ex ſera lignea trahebant. Hoc genere portæ urbium claudebantur, & ianuæ, hoc eſt primores & in publicum exeuntes ædium fores, ut ex multis Græcorum Latinorumque teſtimoniis colligitur. Hæ nempè Laconicæ erant breviores, multis dentibus, & artificii ſolertioris, quæ clauſtro immiſſæ totæ latebant, qua de re infra pluribus. Eodem modo nempe ratione formæ exterioris, materiæque claves hodiernæ poſſent dividi, ſed cum hæc conſideratio non ſit huius loci, diſtinctiones clavium eæ cumprimis ſunt attendendæ, in quibus quid juſtum, quidve injuſtum circa eas ſit, ſimul diſpicitur. Atque eo ſenſu putarem claves poſſe dividi, in *genuinas* ſive *veras*, & *adulterinas*; illas, in *publicas* & *privatas*, utrasque in *communes* & *proprias.* vid. Hôpping. *de Iure ſigill. c.* 4.

VIII.

Illa quæ hactenus fuêre diſſertata ad univerſalia ſeu præliminaria noſtri Juris clavium pertinent, quæ cum magnam in reliquis lucem ſubminiſtrabunt, lubuit in iis eſſe paulo prolixioribus. Jam ad rem ipſam accedemus, ac ea, quam natura ipſa videtur ſuppeditare, methodo progrediemur. Nempe, cum aliqua ſolida ſcientia non niſi ex cauſarum cognitione habeatur

Ariſtot.

Ariſtot. 1. *poſt. c.* 2. 2. *Metaph.* 2. per eas quoque entia juridica erunt conſideranda; tunc enim rectè docuiſſe videbimur, cum per cauſas ac rationes docuerimus Scalig. *in* 3. *Theoph. de cauſis plant. c.* 3. Magnificus Dn. Tabor *partit. Element. p.* 7. Duo autem ſunt cauſarum genera, aliæ enim dicuntur *externæ*, aliæ *internæ*. *Externæ* dicuntur *efficiens* & *finalis*, ita enim eſſe rei dant, ut eſſentiam eius non ingrediantur, nec illam ut partem eius conſtituant. *Internæ* ſunt, *materialis* & *formalis*, ex his enim eſſentia rei ut partibus conſtat. Vid. Horn. *Compend. Dialect. lib.* 4. *c.* 1. *n.* 2.

IX.

Primo itaque ad cauſas externas & quidem cauſam efficientem; hæc definitur, *quod ſit ea, à qua res vel effectus eſt*, dividiturque rurſus in *proximam* & *remotam*, illa eſt, *ſine qua effectus eſſe non poteſt*, ſic artifices operum ſuorum cauſæ ſunt; hæc eſt, nempe *remota, quæ occaſionem dat primariæ producendi ſuum effectum hoc tempore potius, quam illo.* Quæ ut ad noſtrum inſtitutum rectè applicentur, attendenda omnino ſunt ſequentia. Scilicet tralatitium eſt apud humaniores quosque ſcriptores, initio omnia fuiſſe communia, ob idque Poëtæ præſertim tempus illud alibi ætate aurea, alibi Saturni aut Juſtitiæ regno, quo nec litigia ulla, quæ ſcelerum cauſam, nec defectus, qui inopiæ ſpeciem præberet, depingunt confinguntque

——— ——— *Promiſcua jura per agros*
Præſtiterant cunctis communia cuncta videri.

Quod tamen non eſt ita crude intelligendum, quaſi res ita fuerint communes, ut alius ab uſu ſuarum rerum potuerit excludi, quaſique initio omnino & ſimpliciter nihil proprii fuerit. Durante enim illo ſtatu, juris naturalis fuit, ut nemo ab uſu neceſſario rerum communium prohiberetur, qui uſus vel ſimpliciter in abuſu conſiſtebat, quales ſunt cibus & potus & cœteræ res fungibiles, quæ indiſtincta proprietate quadam ab uſu ſeiuncta utentis factæ ſunt, vel ſecundum quid, quatenus occupatæ vel aliis commodè uſui non eſſe, ut res mobiles, puta veſtes & alia tegumenta, vel eſſe quidem, ſed propter neceſſariam rei familiaris conſervationem ſine huius interitu aliis communes eſſe non

potuerunt

potuerunt; ut arva, arbuſta, paſcua. Communio itaque illa fuit valde impropria, per quam tantummodo hoc denotatur, quod omnia fuerint vacua, quæ occupanti cederent. Hugo Grot. *de jur. bell. & pac. l. 2. c. 2.* Fransk. *Exerc. 1. quæſt. 5.* Dn. Hahn. *Obſerv. ad VVeſemb. de juſt. & jur. num. 16.* Et licet, uti iam dictum, iſta rerum communio non ita vaga ac libera fuerit, tamen neceſſum fuit nihilominus, ut ſingulis rebus certa & diſtincta conſtituerentur dominia, ac unusquisque ſuum teneret. Tanta enim poſt peccatum originis erat improbitas, ut non poſſent homines rebus communiter uti, imo ratio dictabat ipſa, iniquum videri, ut ignavi & deſides alieno alerentur labore, cum quemlibet deceat in ſudore vultus ſui comedere panem ſuum. Schneidevvin. *ad §. ſingulorum num. 9. Inſtit. de R. D.* Vaſq. 2. *illuſtr. controverſ.* §. 1. *n. 11.* Treutl. *vol. 2. diſp. 20. th. 1. lit. I.* & idem ſentit Gloſſa deß Weichbildes *art.* 1. his verbis: Die Sache deß Rechtens iſt anders nichts/ dann daß man böſer Leuthe Durſtigkeit damit zähme vnd zwinge.

X.

Diſcretis ita rerum proprietatibus crevêre nihilominus vitia, doli, inſidiæ, direptiones ac furta, itaque neceſſum fuit, res in tuto collocare, qua de cauſa ſeræ, clavesque ſunt excogitatæ, quarum beneficio res cumprimis pretioſiores fuêre abſconditæ, eæque à furum machinationibus defenſæ, cauſa itaque efficiens procatarctica clavium eſt ſtudium res ſuas cuſtodiendi poſt introductam nempè rerum proprietatem.

XI.

Cauſa efficiens proxima fuit primus inventor clavium; qui communiter creditur fuiſſe Theodorus Samius egregius ſculptor & Architectus inſignis, qui ferrum fundere primus docuit, ac ſtatuam ferream fecit. Suidas, Pauſanias & Calep. Lexic. in voce *Clavis.* Noſtrarum clavium confectores ſunt fabri ferrarii die Schlöſſere und Kleinſchmiede: ubi quæſtionis eſt, *an fabri ejus clavis, ad quam conficiendam aut reparandam operam locarunt, exemplar retinere poſſint.* Equidem ſi analogia Juris, ut debet, ſufficiet ad quæſtionem decidendam; In auxilium vocabimus legem elegantiſſimam circa annulos à Solone latam, quæ extat apud

B Laer-

Laertium referente Marquard. Freh. *in Pareg. lib.* 1. *c.* 20. *Non licere annulario ejus annuli, quem vendidiſſet, vel faciendum conduxiſſet, ſigillum ſive exemplar retinere.* Cui reſpondet, quod vult Laurentius Pignorius *lib.* 1. *Symb. Epiſt.* 1. *fol.* 1. Daß der Siegelgraber keinen Abdruck deß Wapens behalten ſolle/ allen Betrug zu verhüten / und werden die Pittſchafften zuweilen nachgegraben/ deßwegen in Rechten verſehen/daß in der Privat-Perſonen Sachen das Pitſchafft ohne die eingehändige Unterſchrifft nichts beweiſet. Gœdd. ad *l. Subſignatam* 39. *n.* 2. 3. 4. *ff. de V. S.* cujus legis eam rationem eſſe putat Beſoldus *in theſaur. Pract.* v. Pitſchafft : ne aliqua fabricandi falſitas relinquatur, quæ ratio cum in noſtra quæſtione deciſionem ſuppeditare videatur, dicendum eſt, & fabris interdici, ne clavium venditarum exemplar ipſi pro ſe retineant. Petr. Rebuff. *ad Conſtit. Reg. art.* 1. *Gloſſ.* 6. *n.* 13. Höppinck. *de Jure Sigillorum cap.* 14. *n.* 179.

XII.

Ad internas cauſas ſecundo pertinet cauſa materialis, *ex qua* nimirum *res eſt*, quæ antequam à nobis exponatur, lubet tantummodo obiter annotare, quod entia Juridica ſeu moralia nullam materiam propriè dictam, ex qua componantur, agnoſcant, & ſi qua illis à Doctoribus materia tribuitur, illam aut eſſe analogicam ſaltem, aut non materiam, ſed objectum, ſicut ex collectione non infeliciter colligunt Philoſophi accuratiores. Dicunt enim actibus ſimplicibus objectum vulgò loco materiæ adſignari, ſic materiam legitimationis eſſe liberos naturales, legati, res quæ legantur. Actibus compoſitis aſſignari actuum compoſitorum objecta, quæ ſunt res & pretium, cum tamen Emptioni Venditioni ut actui compoſito loco materiæ commodius poſſent & deberent duo actus ſimplices nempè actus emptoris & actus venditoris aſſignari. Quos ſi hoc noſtro in propoſito ſequi vellemus, loco materiæ immanentis clavium, lapidem, lignum variique generis metalla, aurum, argentum, cuprum, orychalchum, ſtannum, plumbum, ferrum aſſignanda forent. Sed cum illud ab inſtituto noſtro longiuſculè abeat, placet receptæ Dd. methodo inſiſtere.

XIII.

Atque cauſa materialis ſtatuitur duplex, *Subjectiva* & *Objectiva*, *Subjectiva* ſunt *perſonæ*; hæ enim verè juris juſtitiæque ſunt capaces, hæ actiones inſtituunt, hæ jus dicunt, hisque de rebus jus dicitur. *Materia objectiva* ſunt res, quarum intuitu juſti injuſtique quæſtio ventilatur. Vid. Magnif. Dn. Tabor *partit. Element. p.* 1. *n.* 10. & 11. Perſonæ itaque ſunt materia ſubjectiva Juris clavium, quas illæ tenent aut jure *alieno*, aut *jure proprio*; qui tenent eas *jure alieno*, habent earundem cuſtodiam, ſuntque in multiplici differentia. Qui *Jure proprio*, tenent eas *vel jure dominii*, vel *Jure ſervitutis*, vel *Jure poſſeſſionis*, vel *Jure hereditario*, vel *Jure pignoris*, de quibus omnibus infra pleniori diſquiſitioni dabitur occaſio. Illud tantummodo hic obſervandum eſt, quod quotiescunque clavem dicimus, non intellectam velimus nudam illam rem extra uſum conſtitutam, ſed inſtrumentum aliquod ſive Oeconomicum ſive publicum, quod claudendis, aperiendis conclavibus, ciſtis &c. deſervit. Ex quo facile eſt colligere, quod ſi fortaſſis rei, cujus commodioris ſecurioriſve uſus cauſa claves comparatæ ſunt, dominium acquiratur aut amittatur, ipſæ etiam claves acquiſitæ ſimul vel amiſſæ intelligendæ ſint, Claves enim pars rei dicuntur. Andr. Clud. *lib.* 1. *rer. quotidian. c.* 6. *n.* 102. Anton. Bullæus *conſil.* 3. *n.* 76. Quin ſi quæſtio ſit de fundo caſtro aut domo, per fictionem juris translativam de re ad rem claves habentur pro rebus immobilibus arg. *l. quæſitum eſt* 12. §. 2, 3. *ff. de inſtr. legato. l. ſtatuæ affixæ* 245. *ff. de V. S.* Add. B. Hahn. *in Obſerv. ad Weſemb. de R. D. num.* 4. ad verba *Per interpretationem.*

XIV.

Illi, qui tenent claves Jure alieno, ſunt vel cuſtodes clavium *publicarum*, vel *privatarum*. Clavium publicarum nomine veniunt claves portarum, templorum, curiæ, cancellariæ, ærarii, armamentarii, granarii, carceris. De clavibus portarum diſputatum olim fuit, *anne illarum cuſtodia eſſe debeat apud Decuriones, an apud Præſides*; Nam uti Livius teſtatur, Marcellus præfecerat Ænnenſibus Sociis L. Pinarium, huic cuſtodiam arcis &

claves portarum commiſerat, cives apertè egerunt ac propalam, urbem arcemque ſuæ poteſtatis eſſe, ſi liberi in ſocietatem non ſervi in cuſtodiam traditi eſſent Romanis; Pinarius reſpondit; Conſulis de ea re jus ac poteſtatem eſſe, non ſuam; ſe in præſidio eſſe impoſitum ab Imperatore ſuo, clavesque portarum ac cuſtodiam urbis ab eo accepiſſe: Cum nihilominus omnes una voce juberent reddi claves, cunctanti ac differenti ferociter minarentur; Pinarius ſigno dato militibus, ferro agi juſſit, cæſi ſunt Ænnenſes & claves amiſerunt. Simile aliquod recitat ex Livio Petrus Ærodius *rerum judicatarum Pand. lib. x. Tit.* 12. Cum enim Cajus Terentius Varro juſſus à Senatu legionem Aretium ducere, eamque habere in præſidio, claves portarum à Magiſtratibus municipalibus popoſciſſet, & eas negaſſent comparere, ratus magis fraude amotas, quàm intercidiſſe negligentiâ, alias claves omnibus portis impoſuit, cum curaque cavit, ut omnia in ſua poteſtate eſſent. Lis hæc multum agitata inter Dd. nonnullis hanc poteſtatē Præſidibus, nonnullis eam Decurionibus, nonnullis Scabinis, nonnullis Syndicis concedentibus, uti elucet ex Franc. à Ripa *tr. de peſte tit. de remed. ad conſervandam ubertatem.* Guidon. Papa. *Conſil.* 1. Fontanella *de pact. nupt. clauſ.* 4. *gloſſa* 10. *p.* 1. *n.* 16. 17. *& ſeqq.* & Nicolao Boërio *ſingular. tract. de cuſtodia clavium n.* 34. 35. *ſeqq.* qui verò benè tandem concludit, hac in re conſuetudinem civitatum & caſtrorum attendendam eſſe.

XV.

Atque ſic dicimus, cuſtodiam clavium portarum ad eos pertinere, quibus ea à ſuperiore fuit commiſſa, quod pro varietate locorum hodie in imperio Romano-Germanico variare extra omne dubium collocatum eſt. Gaudent verò cuſtodiam clavium concedendi poteſtate 1. Imperator. 2. Electores. 3. Principes Imperii, qui arcibus, caſtellis, civitatibus municipalibus den Land- und Fürſten-Städten præficiunt ihre Commendanten. Tales enim civitates Principi, vel alii ſuperiori æque ac cives in eis degentes ſubiectæ ſunt, neque regulariter iis ulla jurisdictio niſi ex privilegio conceſſa & conſuetudine præſcripta competit Speid. *Spec. jur. verb.* Land-Städten. 4. Civitates Imperiales

riales die Frey-vnd Reichs-Stätte / cum enim hi pari modo, ut Principes, jure territorii in ſuis civitatibus earundemque pertinentiis jura der Lands-Herrlichkeit vnd Lands-Obrigkeit exercere poſſint. Matth. Stephan. *de jurisdict. lib. 1. p. 2. c. 1. n. 63.* Klock. *de contrib. concl.* 10. Scipio Gentil. *de jurisd. lib. 3. c. 22.* quid quæſo ſuaderet, hanc illis poteſtatem denegare? Ita in controverſia, *An Fridberga in Wetteravia ſit civitas Imperii?* contra Burggravum inter alia hoc adducit argumentum Knipſchild *de civitat. Imperial. lib. 3. cap. 15. num. 22.* Quod ſcilicet claves civitatis portarum aliarumque rerum non Burggravio & Sexumviris Caſtrenſibus, ſed Conſulibus & Senatui concredantur & tradantur, quod ſuperioritatis ſymbolum eſſe colligit ex § *item ſi quis* 44. *Inſtit. de R. D.* & ex *l. clavibus* 74. *ff. de Contr. Empt.* Thom. Michael *de Iurisd. concl. 53. lit. E.* 5. Civitates mixti generis, i.e. quæ partim Imperatorem, quoad regalia, quæ ab eo habent, partim alium Ducem vel ſuperiorem (quoad territoria in quibus ſitæ ſunt) agnoſcunt, quarum catalogum exhibet Knipſchild *de Civit. Imperial. lib. 1. c. 3.* 6. Civitates ſub alius principis clientela viventes, niſi ſe hoc jure plane abdicaverint, certaque cum conditione, aut ad certum tempus Protectori conceſſerint. Aliàs enim ne micam quidem juriſdictionis clientela tribuit, neque poſiti ſub alicujus protectione ejuſdem ſubditi dicuntur, nec etiam clientes Schutz-Unterthanen ſed Schutzverwandten indigitantur. Hincque apud Germanos proverbii loco dici ſolet: Schutz und Schirm Gerechtigkeit gibt keine Obrigkeit / entziehet auch dem Erb-Herrn an ſeinen Rechten nicht das allergeringſte. *vid. Speidel. in Voc.* Schutz und Schirm *lit. S. n. 103. verſ. conſtat.*

XVI.

Publicæ claves dicendæ porro ſunt claves templorum, quarum cuſtodia ordinariè æditui den Küſtern und Glöcknern committi ſolet. Qui juſto tempore fores templi claudere & aperire debent, res cultui divino deſtinatas diligenter aſſervare, ac in eam curam cumprimis incumbere, ut locus hic ab omni profanatione immunis exiſtat. Horum cuſtodum & excubitorum frequens fit mentio aqud Arnob. *lib. 6.* & in jure Roma-

no *l. ſervos 17. ff. de aliment. legat. l. ſervos 35. ff. de liberali cauſa* Adde Jacob. Gothofred. *ad l. 1. C. Theodoſ. de fide catholica.* Optimè tandem eorum officium deſcribitur *in c. 1. §. ad Oſtiarium diſt: 25. Oſtiarii ſunt, ad quos claves Eccleſiæ pertinent; ut templum Dei claudant ac aperiant, & omnia, quæ intus extraq; ſunt, cuſtodiant, fideles recipiant, excommunicatos & infideles ingreſſu arceant.* Hodiè multis in locis templa non clauduntur, ſed promiſcuè omnibus liberrimus per ea patet tranſitus, quod malo & improbato exemplo introductum eſſe conqueritur Petrus Peckius *de reparandis SS. Eccleſiis. c. 13.*

XVII.

Archivi claves committuntur Archiotæ, qui aliàs Archiviſta, Archivarius appellari ſolet. *Nov. 15. c. 5. §. 2.* Hic ad vitandam ſuſpicionem neminem in Archivum introducere, ſed omnibus aditum ad id præcludere debet. vid. Ordin. Camer. *part. 1. tit. 26. §. fin. & tit. 30.* Add. Ahaſv. Fritſch. *tract. de jure Archiv. & Cancellariæ c. 5.* Claves Cancellariæ cuſtodire ſolent Pedelli die Pedellen; Quorum officium deſcribit Dn. Seckendorffs Teutſcher Fürſten-Staat. *p. 2. c. 6. n. 17.* hunc in modum: Endlich wird auch ein oder mehr Cantzley-Diener den Räthen und Cantzley-Verwandten bey der Rathſtube und Cantzley mit ein und andere auffwartung/ anſchaffung und verrichtung ihres Befehls an die Hand zugehen / die Gemächer heitzen / auff und zuſchlieſſen zu laſſen / beſtellet / benè verò notanda veniunt ſequentia verba: Uber welchen allen man ſich in den Cantzley-Ordnungen weitleufftig erſehen kan. Hoc enim quod de clavibus dictum non ubivis eodem modo ſe habere nemo diffitebitur. Quippe paulò aliter in Auguſtiſſimo tribunali Spirenſi obſervari, teſtatur Dn. Blume in proceſſu Camerali *Tit. 19. §. 4. Pedellorum officium eſt, ut pro ſenatorio* (Rathsſtuben) *aſſiduò excubent, illud ſuo tempore juſſi aperiant, claudantque.* & *§. 6. utras fores magni ſenatorii ſimul non pandant & §. 7. claves eius ſenatorii quolibet tempore lectori reſtituant, idque ſine ſpeciali juſſu nunquam ingrediantur, nec niſi præſente lectore aut aſſeſſoribus aperiant, à lectorum quoque conclavi penitus abſtineant.*

XIIX.

Carcerum eorumque clavium cuſtodiam habent carcerum

cerum Præfecti, qui olim Commentarienſes dicti ſunt, quorum fit mentio in *l. Divus 6. ff. de bonis damnator. l. 5. Cod. Theod. de cuſtodia reorum. l. 5. Cod. Theod. de iis quæ adminiſtrant. l. 5. eiuſd. Cod. de pæn.* Putant nonnulli eos propterea Commentarienſes appellari, quod comitari debeant eum, quem cuſtodiunt, vel, quia commentarium locus fuerit, ubi capti fuerint detenti. Rectius verò Jacob. Gothofredus ad *d. l. 5. Cod. Theod. de cuſtodia reorum.* rationem appellationis hanc eſſe arbitratur, quod Commentarios i. e. rationem cuſtodiarum & damnatorum conficere debuerint. Et Commentarienſis intra triceſimum quemque diem numerum perſonarum., varietatem delictorum, clauſorum ordinem, ætatem vinctorum Judici inſinuabat, ac ſimul alimoniæ curam habebat, uti apparet *ex l. 7. Cod. Theod. de cuſtodia reorum.* Habebat hic Commentarienſis rurſus ſuos miniſtros, quos cuſtodiendis reis & carceri præponeret, atque hi erant homines viles ac abiecti & *clavicarii* vel *clavicularii* dicebantur à clavibus carceris, ut putat Gothofredus ad ſæpe allegatam *l. 5.* addens; *nos eos clavendiers appellamus*; lingua Germanica vocantur Thurnhüter / Kerckermeiſter / Stockmeiſter / Gerichtsknechte / quod officium cuſtodiæ non cuivis facilè & indifferenter demandandum eſſe, præſertim in iis civitatibus, ubi ſemper magnus eſt captivorum numerus, benè admonet Jodoc. Damhouder. *in prax. Crim. c. 17.* Horum cuſtodum officium ratione clavium in eo conſiſtit, & quidem in committendo, ut cuſtodiæ & captivorum diligentem habeant curam. *l. carceri 8, ff. de cuſtod. reor. l. milites 12. ff. eod.* & *l. ad Commentarienſem 4. C. Eod.* Ut captivos, ſi criminis qualitas deſideret, ferreis manicis & prolixis catenis vinctos teneant, absque cruciatu tamen *l. 1. C. de cuſtod. reor.* In omittendo, ne pretio corrupti ſine vinculis aut non appoſitâ carceri ſerâ agant cuſtodiam *d. l. carceri 8. ff. de cuſtod. reor.* ne captivum evadere ſinant, contra ſi fecerint, pro modo admiſſi ſeu culpæ puniuntur. *d. l. milites ff. d. t.* qua de re infra pluribus.

XIX.

Et hæc de cuſtodia clavium publicarum, à qua antequam abeamus, hæc quæſtio primum decidenda venit, *an cuſtodia clavium*

clavium nudum ſit miniſterium, an verò habeat jurisdictiouem annexam? Laudenſ. Cardinalis de Zabarella *in Clem.* 1. §. *ſane.* aliique allegati à Nicolao Boërio *in d. tract. de cuſtodia clavium num.* 82. *ſeqq.* putant, jurisdictionis & imperii eſſe cuſtodiam clavium, hincque deducunt, laicum cuſtodem conclavis Cardinalium habere poteſtatem in ipſos Cardinales, quod quam abſurdum ſit, quis non videt? Illud interim certnm eſt, ſi cuſtodiam clavium pro eo jure habemus, quod ſuperioritati territoriali atque ſic juri arma fabricandi, armamentaria habendi, civitates & fortalitia erigendi & cuſtodiendi adhæret, regaliorum numero eam adſcribendam eſſe. Clapmar. *de arcan. rerump. lib.* 3. *c.* 20. Nicolaus Boër. *d. tr. n.* 36. Sixtin. *de Regal. l.* 1. *pag.* 242. Knichen *de ſuper. territor. c.* 3. *num.* 467. 468. *ſeqq.* Extra quam conſiderationem cuſtodiam clavium pro nudo ac ſimplici miniſterio habemus cum Nicol. Boërio *d. l. n.* 81. *& ſeqq.*

XX.

Cuſtodiam clavium privatarum habent illi, quibus hæc ab alio liberam rerum ſuarum diſpoſitionem habente conceſſa eſt. Sunt hi procuratores, qui tacitè conſtituti intelliguntur, quando Dominus præſens patitur illos rem ſuam agere, claudendo & aperiendo horrea, conclavia, ciſtas &c. arg. *l. qui patitur* 18. *ff. mandati.* Adminiſtratores, Officiales, Verwalter / Schaffner. Tutores & Curatores die Vormünder / Pfleg-Vätter vnd Gerhaber. Maritus reſpectu rerum paraphernalium uxoris. Inſtitores der Kauffleuthe Jungen vnd Laden- oder Gadendiener. Quos licet cuſtodes clavium faciamus, tamen haud denegamus iis majus aliquod jus, nempe adminiſtrationem rerum occluſarum & reconditarum. Etenim & Procuratori, & tutori, & curatori, & officiali, & inſtitori, & marito ratione rerum extradotalium hoc jus legibus noſtris conceſſum eſſe in propatulo eſt, quanquam huic ultimo de Jure Saxon. in bonis uxoris paraphernalibus jus utendi, fruendi competat And. Rauchb. *p.* 1. *q.* 2. *num.* 45. *Carpz. p.* 4. *Conſtit.* 21. *n.* 8. *defin.* 1.

XXI.

Hæ claves privatæ ſcilicet & publicæ, ſi de earum cuſto-

dia agitur, apud Seniorem debent conſiſtere, quod probari videtur per *l. cum pater* 77. §. *pater* 21. *ibi, Si pater moriens clavem & annulum cuſtodiæ cauſa majori natu filiæ tradiderit, non res clavi & annulo incluſas prælegaſſe, ſed ipſarum tantum cuſtodiam pro communi omnium filiorum negotio videri mandaſſe. ff. de legat.* 2. Bartol. *in d. l. cum pater* 77. §. *pater pluribus.* Jaſon. *in l.* 2. *n.* 39. & 40. *ff. de reb. credit. & Conſ.* 192. *n.* 3. & *ſeqq. vol.* 2. Nattæ *conſ.* 190. *n.* 1. *Auguſt. Beroi. Conſ.* 48. *n.* 12. *vol.* 2. Cui convenit, quod de ſigillis apud Turcas obtinet. Nam apud illos ex ordine Bellerbechorum & purpuratorum Baſſarum, quorum numero quatuor apud eos graviſſimarum rerum conſiliis præſunt, antiquior principis ſcrinio, gemmaque potitur, appellaturque Veſir & ſcribis & Notariis decreta dictat. Paulus Jovius *lib.* 14. *Hiſt. pag.* 288. alleg. Theod. Höpping. *de Jure Sigill. c.* 6. *n.* 28. 29. *ſeqq.* Interdum verò uſu venire ſolet, ut quilibet illorum, ad quos res illa communis ſpectat, peculiarem clavem habeat, hincque dicit Cardinal. *in Clem.* 1. *de hæreticis, quod ſi ſint plures nobiles unius caſtri, quilibet debet habere unum cuſtodem carceris, & quilibet unam clavem diverſam ab altera.* Et verò in majorem ſecuritatem plures claves interdum conficiuntur, quarum cuſtodia pluribus conceditur, ita, ut ſi res clauſa aperienda ſit, non niſi omnibus clavibus concurrentibus id fieri poſſit. Atque eam ob cauſam in der Cammer-Gerichts-Ordnung zu Wormbs de Ann. 1521. ſancitum eſt hunc in modum. Wir wollen auch / daß der Verwalter der Cantzley / ſambt einem Gegen-Schreiber / dem wir jhm zu Ringerung ſeiner Bürde zuordnen wollen / alle und jede deß Cammer-Gerichts oder Cantzley und Fiſcaliſche Gefälle / wie die genannt / träulich / ſämbtlich / und keiner ohne den andern / was ſie alſo empfahen mit ſeiner Hand in ſein deß andern Regiſter einſchreiben / und fürter ſolch Gelt eines jeden Tages darauff es gefällt in eine Kiſte oder Truhe / die zum beſten und ſicherſten geſtält / und mit dreyen Schlöſſern bewahret werde / dazu der Cammer-Richter einen / der älteſte auß den Beyſitzern was Standes er wäre / den andern / und den dritten Schlüſſel / der Cantzley-Verwalter und Gegenſchreiber / ſämbtlich in einer beſchloſſenen Laden / darüber jeder einer ohne den andern nicht kommen konte / haben / einwerffen. *Et in Receſſu Imperii* zu Trier und Cölln

C   *de*

de Anno 1512. §. 33. und damit obangezeigter Anſchlag deſto ſtattlicher einbracht / auch damit nicht gefährlich gehandelt / ſo ſollen wir auch Churfürſten / und Fürſten in jhren Fürſtenthumben / Landen / und Gebieten / jeglicher etzliche fromme glaubhafftige Perſonen / Nemlich eine von ſeinen / als der Obrigkeit wegen / einen von ſeinen Prælaten / und einen von ſeinen Communen / die ſollen den Anſchlag einfordern / einbringen / und in einer Kiſten / dazu jeglicher einen Schlüſſel haben ſoll / getränlich und wol verwahren. Simile aliquid invenitur apud Zeiler: *In Itiner. Hungar. pag.* 103. / Von den Schlüſſeln zu dem Schloß Preßburg / welche ſieben Ungariſche Herren verwahren / und jeder einen abſonderlichen hat / damit keiner ohne den andern hinein gehen könne. Simile aliquid obſervari in conclavi Romano, quando Pontifex novus eligendus eſt, aſſerit Sleidanus de ſtatu religionis lib. 21. pag. 670. ibid. *Qui ſunt intus coguntur manere, niſi forſan ægrotent & ubi ſemel exceſſerint, non recipiuntur, niſi Cardinales. Cum in conclave ventum eſt electionis cauſa, ſtatim deliguntur Cardinales tres aut quatuor, qui res omnes neceſſarias procurent, qui regum atque principum legatis reſpondeant. Hi clavem unam habent, ejus quam diximus, portæ, alteram habet nobilitas Romana, tertiam Epiſcopi, quartam, ceremoniarum magiſtri, &c.*

XXII.

Et tantum de cauſa materiali ſubjectiva, in ordine ſequitur cauſa materialis objectiva, quam conſtituunt ſeræ apponi ſolitæ portis civitatum, caſtellorum, arcium, templorum, curiarum, armamentorum, carcerum, granariorum, ædibus, arcis, ciſtis, cellis & id genus aliis retinaculis, in quibus bona à fortuna conceſſa aſſervari & ab improbis furum manibus defendi ſolent. Neſcio etiam an huc referenda ſit ſera pudicitiæ apud Italos uſitata cujus meminit Dn. Dithern ad Beſold. *Theſaur. Pract. V.* Schlüſſel / ibid. In Herrn Plateri Kunſt-Kammer iſt eine Form / von einem Italiäniſchen Schloſſe / als ein Italianer mit ſeinem Weibe geeyffert / hat er / als er verreiſt / ſein Weib ea parte, quâ mulier erat, verſchloſſen / und eine ſonderliche Invention erfunden / quod inventum deſcribit Zeilerus *in Itinerario Italiæ pag. 63. 64.* Cui deſcriptioni Zeileri Dn. Dithern ad Beſold. *Theſaur. Pract.* inſtru-

ſtrumentum ſibi monſtratum eſſe planè ſimile & conforme, ejusque confectorem artificem Noribergenſem extitiſſe, ait d. l.

XXIII.

Cauſam materialem excipit cauſa formalis, utpote altera illarum, quas ſupra cauſas internas appellavimus. Eſt autem formalis cauſa, *quæ materiam actuando & informando cum ea eſſentiale compoſitum conſtituit*, eſtque vel *ſubſtantialis* ſeu *eſſentialis*, vel *accidentalis*. *Eſſentialis eſt quæ eſſentiam rei conſtituit. Accidentalis quæ eſſentiæ conſtitutionem ſequitur.* Hæc uti ad materiam clavium applicentur, dicimus cauſam formalem eſſentialem in eo cerni, quod clavis ſit tale inſtrumentum, cujus materia ſuadentibus neceſſitatibus humanæ vitæ ita eſt informata, ita actuata, ut inſerviat claudendis & aperiendis ſeris appoſitis iis locis, quos omnibus patere nec publicè nec privatim intereſt. Quo ergo ars humana eas huic cuſtodiæ reddit aptiores commodioresque, eo magis veram formam aſſequuntur. *Forma accidentalis* eſt exterior effigies clavium, quæ uti olim non fuit ſemper eadem, ita & hodie diverſo etiam ſeſe habet modo. Duo genera clavium apud antiquiſſimos Græcos in uſu fuiſſe reperire ſe dicit Salmaſ. *in Exercit. Plin. in Solinum p.* 932. βαλανάγρας & λακωνικὰς illarum uſum fuiſſe circa ſeras ligneas, longiores unico dente quæ βάλανον ex ſera traherent, quo genere clavium urbium portas clauſas fuiſſe ex Æneæ Tacticis conſtare dicit. λακωνικὰς verò fuiſſe breviores multis dentibus & artificii ſolertioris, quæ clauſtro immiſſæ totæ latuerint, quod ſuccutiendo & ſurſum impellendo repagula decuſſerint. Et quoniam hæ claves Laconicæ pluribus erant dentibus, non facile ſeræ poterant aliquo alio inſtrumento aperiri. Hinc apud Ariſtophanem quiritantur mulieres uſum Laconicarum clavium, quas viri tum geſtarent, & eas multum ſibi & furtis ſuis incommodare. Cum enim anteà ſolerent de facili cellaria & apothecas viris inſciis aperire, & inde, quæ vellet, depromere, hoc ſibi nunc non licere propter illas claves Laconicas, quæ fraudibus minus obnoxiæ eſſent, quam cæteræ communes βαλανάγραι. Et omninò clauſtra clavium, quæ pluribus

 den-

dentibus ac crucibus inſtructæ, ſunt difficiliora furibus ad aperiendum, & minus opportuna dolo ac uncinis expilatorum; quâ de causâ cauti & circumſpecti patres familiarum ſeras clavesque quibus res pretioſiores occludunt, hunc in modum confici curant. Et tantum etiam de cauſa formali.

XXIV.

Jam ordinis ratio poſtulat, ut ad cauſæ finalis tractationem accingamur. Eſt verò cauſa *finalis, cujus gratia aliquid fit*, & eſt duplex, *principalis* & *minus principalis*. *Finis principalis eſt, qui primario ab agente intenditur. Minus principalis, qui intenditur ſecundariò.* Quæ ut ad noſtrum inſtitutū accommodentnr, dicimus finē principalem Clavium eſſe illum, quem in conſideratione cauſæ formalis attigimus, nempè ut inſerviant claudendis & aperiendis locis illis, quibus aliquid, quod charum habemus, majoris ſecuritatis cauſa recondimus. Minus principaliter ſeu ſecundariò claves alios etiam uſus præſtant, quos jam paulò penitius conſiderabimus. Et inſerviunt primò claves ad transferendam poſſeſſionem *l. clavibus* 74. *ff. de Contrah. Empt.* Cum enim dominia & poſſeſſiones transferantur, non tantummodo vero rerum interventu, ſeu quando res revera accipienti traditur *l.* 2. *§.* 3. *ff. de Reb. Cred.* ſed etiam receptum, ut (quaſi juridico quodam rerum tropo) non tradendo, ſed aliter agendo, puta obligando, ſcribendo, demonſtrando &c. aut membris corporis nihil omninò conferentibus, ſed mente tantum nudè conſentiendo: aut prorſus nihil agendo, ſed patiendo duntaxat & poſſeſſio vel quaſi utiliter cedi poſſit vid. *d. l. clavibus.* 74. *ff. de Contrah. Empt. l.* 1. *§.* 4. *l. quod ſi* 14. *de peric. & comm. l. quadam* 77. *de Rei Vind. l.* 1. *§.* 21. *l. quod meo.* 18. *pr. &* §. 2. *l.* 3. §. 4. *ff. de acquir. poſſeſſ. l. quotiens via ult ff. d. ſervit.* mirum non eſt, clavibus porrectis juris fictione res ipſas traditas cenſeri propter facilem aperiendi & apprehendendi facultatem *d. l. clavibus* 74. *ff. de Contr. Empt.* Ad hoc vero, ut traditio clavium operetur translationem poſſeſſionis, requiritur 1. animus poſſeſſionem transferre volentis. Supra enim jam tum fuit monitum, ſi in dubio non præcedat titulus habilis ad translationem dominii vel poſſeſſionis, traditionem clavium

præ-

præſumi factam cuſtodiæ cauſa *l. cum pater* 77. §. *pater pluribus* 21. *ff. de legat.* 2. 2. requiritur, ut traditio clavium fiat in re præſenti *d. l. clavibus* 74. *ff. de Contr. Empt.* ubi verò non poſſumus facere cum Bartolo, qui ad *l.* 1. §. *ſi juſſerit* 21. *ff. de acquir. vel amitt. poſſeſ.* putat, neceſſum non eſſe, ut, ſi fortaſſis per porrectionem clavium poſſeſſio e. g. rerum in ædibus contentarum transferenda ſit, emptor ſciat, in qua parte domus res ipſæ poſitæ ſint. Simpliciter enim Sacratiſſimus Imperator Juſtinianus hoc requiſito planè omiſſo definit §. 44. *Inſt. de R. D. Si quis merces in borreo depoſitas vendiderit, ſimul atque claves horrei tradiderit, transfert proprietatem mercium ad emptorem.* Multò minus habebit nos conſentientes Alex. *qui in l.* 1. *verſic. habetis diligenter ff. de acquir. poſſeſ.* poſt Imolam exiſtimat, poſſeſſionem acquiri per traditionem clavium in abſentia rei factæ, cui opinioni aſſentitur Paulus de Caſtro *in d. l.* 1. *n.* 18. Licet enim hi objiciant, ſi requireretur præſentia & adſpectus ipſius domus, traditionem clavium nihil operari, cum & ſolus adſpectus ad acquiſitionẽ poſſeſſionis ſufficiat: Tamen contrarium potius arridet, tùm quod in ſæpè all. l. *clavibus* expreſsè dicatur: *Clavibus traditis ita mercium in horreis conditarum poſſeſſio tradita videtur, ſi claves apud horrea traditæ ſint &c.* & quamvis claves ut ſymbola videantur ſufficere ad rem ipſam, ut ut abſentem repræſentandam, tamen eleganter notat Dn. Vinnius ad §. 44. *Inſtit. de R. D.* ſymbolicam traditionem talem eſſe debere, ut per eam res poteſtati noſtræ ſtatim ſubjiciatur, quod non fieret, ſi alibi claves traderentur. Confer. Schneid. *ad* §. *poſſidere* 5. *Inſt. de Interd.* Maſcard. *de probat. vol.* 1. *concl.* 298. *n.* 456. *ſeqq.* In inveſtitura abuſiva, quæ nihil aliud eſt, quam ficta aliqua traditio contrarium obtinere, nonnulli volunt; per eam enim poſſeſſionem transferri, modo (1) res vacua ſit *l.* 3. §. 5. *ff. de Acquir. poſſeſ. I Feud.* 3. *II. Feud.* 7. §. 10. (2) Inveſtiens, cujus voluntas hic utramque facit paginam *l. ſi ex ſtipulatione* 5. *l. fundi* 33. *ſeqq. l. qui abſenti* 38. *l. intereſſe* 39. *d. t. II. Feud.* 33. *pr.* voluerit poſſeſſionem illicò transferre, non verò ſibi retinere, & ita ipſam fictæ traditionis vim eludere *I. Feud.* 4. *pr. &* §. 1. 25. *II. Feud.* 2. *pr.* Bocer. *cap.* 2. *de Inveſtit. n.* 76. 77. (3) Symbolum aliquod,

 gla-

gladius, baculus, pileus, aliudve intervenerit II. *Feud.* 2. neque hic neceſſarium eſſe putant, ut res in conſpectu ſeu præſens ſit, eò quod jura Feudalia de rei præſentia ubivis ſileant, ac ejus loco Parium præſentiam & alia ſolennia defectum iſtum facile ſuppletura, exigant, Sande de *Effeſtucatione c.* 3. *num.* 6. *c.* 2. *n.* 15. 21. *ibi. Nihil etiam obſtat, quod actus ſit plerumque peragatur extra rem atque adeo etiam extra rei conſpectum; Nam ibi rem fingimus præſentem.* In contrarium moventur per l. 1. §. 21. *ff. de Acquir. poſſeſ.* Iſern. Afflict. Obrecht. II. *Feud.* 8. *num.* 223. 224. *ſeqq.*

XXV.

Circa traditionem clavium jure Saxonico dubium movet text. *in Conſt.* 14. §. So aber eine ihre Gerade außerhalb Gerichts/ donatione inter vivos vorgeben wolte / vnd die Stücke über 500. Vngariſche Gulden nicht thäten außtragen / ſo könne es in beyſein zweyer oder dreyer Zeugen oder aber auch für Notarien vnd Zeugen geſchehen; Jedoch ſo müglich die Schlüſſel alsdann in Gegenwart der Kaſten vnd Truhen/darinnen ſolche Stücke verwahrt/ dem donatario auch danebēn die donirten Stücke/ zugeſtellt vnd übergeben werden/ubi in donatione Geradæ requiritur, uti non tantum claves tradantur rerum donatarum, ſed etiam ipſæ res donatæ. Facit huc text. in *l. ſi hæredi* 5. *ff. de Condit. inſtit.* §. *pen. inſtit. de hæred. inſtit.* ut itaq; dicendum videatur, utrumque hic deſiderari nempè & traditionem clavium & traditionem rerum donatarum; Cum verò certum ſit, verba copulativa non ſemper conjungi, ſed quandoque in disjunctiva verba reſolvi ſecundum ſubjectam materiam, ſufficit alterutrum horum in donatione Geradæ; aliàs enim unius traditionis vis eluderetur atque fruſtranea eſſet, utroque autem omiſſo, donatio Geradæ invalida eſt. Ita huic dubio occurrit Carpz. *part. II. Conſt.* 14. *def.* 14.

XXVI.

Secundò per traditionem clavium dominium etiam validè transfertur earum rerum, quas denotant; Ita traditione clavium domus vel horrei, ubi merces venditæ reconditæ ſunt, jure natura-

naturali dominium rerum venditarum transfertur §. *Item ſi* 44. *Inſt. de R. D. l. clavibus* 74. *ff. de Contr. Empt. l. qua ratione* 9. §. 6. *ff. de A. R. D.* Ad hoc verò ut dominium per traditionem clavium validè transeat, requiritur. (1.) ut tradens claves ſit verus dominus rerum per illas denotatarũ §. *per traditionem* 40. *inſt. de R. D.* ibi. *voluntatem domini & à domino tradita.* Si verò claves tradens non ſit dominus, transfert tantummodò conditionem uſucapiendi in accipientem *d. l. clavibus* 74. *ff. de Contr. Empt.* ibi: *Quod ſi venditoris merces non fuerunt, uſucapio confeſtim inchoabitur. Non enim novum eſt,* utimur verbis Ulpiani *in l.* 46. *ff. de A. R. D. ut, qui dominium non habeat, alii dominium præbeat; Nam & creditor pignus vendendo cauſam dominii præſtat, quam ipſe non habuit.* (2.) Ut dominus transferendi dominii poteſtatem habeat §. *nihil* 42. *inſtit. d. t. l. qua ratione.* 9. §. 4. *ff. eod.* unde is, cui libera bonorum adminiſtratio permiſſa eſt, ſi claves alicui tradat, ipſam rem rectè facit accipientis *d. l. qua ratione* 9. §. 4. (3.) Ut dominus tradere velit; Voluntatem autem iſtam habere cenſentur illi non tantùm, quibus rerum ſuarum adminiſtratio conceſſa eſt, qua ratione ſic meritò excluduntur infantes, furioſi, prodigi & ſimiles *l. Iulianus* 10. *pr. ff. de cur. fur. l. Is cui* 6. *ff. de Verb. Oblig. l. ſi ſciens* 26. *ff. de Contr. Empt. l. pupillus* 11. *ff. de Acquir. rerum domin.* verum etiam ii, quibus error aliquis non eſt obſtaculo. Confer Colleg. Argent. *de Acquir. rerum dom. θ.* 55. (4.) ut præcedat juſta ſeu habilis cauſa ad transferendum dominium, qualis eſt venditionis, donationis, dotis &c. & hoc eſt, quod dicitur in *l. nunquam* 31. *ff. de A. R, D.* traditionem non transferre dominium, niſi juſta aliqua cauſa præceſſerit, propter quam traditio ſequeretur. add. *d.* §. 40. *inſtit. de R. D. & A. R. D. l. ſi rem* 28. *ff. de V. O.*

XXVII.

Tertiò per traditionem clavium nonnunquam pignus conſtituitur in iis rebus, quas claves denotant, quæve ſub illis continentur arg. *l.* 2. *C. quæ res pignori obligari poſſ.* Si enim is, qui inſtrumentum, e. g. emptionis venditionis obligat, rem emptam ſeu rem inſtrumenti obligare videtur *d. l.* 2. *C. quæ res pign. oblig. poſſint*, quidni etiam & is, qui clavem obligat, idem facere cenſendus eſt? Conf. *l. ſi donatio* 5. *C. de donat.* Quartò videtur quaſi tradi ſervi-

ſervitus, ſi is, qui ſervitutem concedit, fundi ſui claves alteri tradat ea voluntate, ut ipſi ſervitutem conſtituat arg. *l. 3. pr. ff. de Uſufr.* Confer Colleg. Argentor. *de ſervit. th. 31.*

XXIIX.

Quintò per traditionem clavium jus ſuperioritatis territorialis ac pleniſſimæ poteſtatis concedi, tradunt DD. communiter arg. §. 44. *inſt. de R. D. l. clavibus 74. ff. de Contr. Empt.* Thomas Michael *de Iurisd. concl. 53.* Mager. *de Advocat. armat. cap. 10. num. 592.* Facit, quod reperio apud Georg. Mundium *Vol. 2. Conſ. 27. n. 18. 19.* concernens ſtatum civitatis Erfordienſis, quæ ſeſe Bannero dederat, ibi. vnd darzu. (5.) dem Commendanten / wozu ſie doch der Accort gleichfalls nicht adſtringirt die Schlüßel zu theils Thoren geben / dahero (6.) vnvermuthlich / das / weil ſie ſolches gethan / ſie hierinnen ſich gröblich vergriffen / traditione namque clavium tali ſeſe contra Imperatoris, Moguntini Archi-Epiſcopi & Electoris Saxoniæ mandata dehortatoria & invitatoria eius poteſtati ſubiecit per DD. multos ibi allegat: Idem confirmat proceſſus evacuationis Franckondalii factæ ab Hiſpanis Electori Palatino, quam fusè deſcribit continuatio Theatri Europœi ad ann. 1652. pag. 160. ibi. Er der geweſene Commendante ſelber als er für das Thor kommen / ſteig vom pferde ab / warff ſeinen hut auff die Erden / kniete darauff / vnd küſſete das liebe Land / das jhm der ſtaub am Munde hangen blieb / vnd ſagte dabey: GOtt wolle dieſe Erde ſegnen vnd jhre Einwohner. Zuvor aber die Schlüßel in einer Schüßel (ſo er auß einem Sack gethan / vnd ein halb glaß mit Wein darauff geſchüttet / den anderen halben theil in Geſundheit deß Kaiſers außgetruncken) Jhre Churfürſtl. Durchleucht Comendanten Herren Obriſten Willern liffern / auch die gantze Burgerſchafft zuſamen fordern laſſen / vnd von jhnen abſchied genommen. Eodem modo omnes Longobardicæ Comites, Nobiles & Civitates cum ingenti apparatu Ottonem IV. Regem Romanorum ſuſcipientes ſua illi oppida, civitates, ſuburbia & munitiones ſubdidêre, portarum claves in ſignum ſupremi dominii offerentes infinitamque vectigalium & tributorum pecuniam penes illos à tempore Henrici Imperatoris depoſitam, ad mànus voluntariè tradide-

diderunt. Naucler. *Gronograph. vol.* 2. *gener.* 41. *fol.* 805. Ex quo colligunt nonnulli, cumprimis oſores civitatum imperialium, quod in ſequentibus temporibus ad exemplum Lombardicarum civitates Imperatori adventanti claves portarum obtulerint, **jhm die Schlüſſel entgegen getragen**/eo ipſo imperium omnemque jurisdictionem Imperatori tradidiſſe, quod ſimul ſit maximo argumento, civitates imperiales majorem ſubiectionem, quam reliqui ſtatus imperii ultrò agnoſcere. Sed Knipſchild, uti alias, ita & hoc in argumento ſtrenuum agit civitatum imperialium patronum ac defenſorem, ac dicit *lib.* 2. *de privil. civit. imp. cap.* 1. *num.* 67. oblationem clavium non ex una cauſa fieri ſolere; Itaque eam Imperatori adventanti à civitatibus imperialibus fieri ſolitam non magis eſſe reverentialem recognitionem univerſalis Cæſareæ protectionis & ſupremæ ſuperioritatis interpretandam, quàm ut inde civitatum imperialium major ſubiectio, ac aliorum ſtatuum arguenda veniat, præſertim cum Imperator ipſe nuda tantum oblatione ut plurimum ſit contentus, & civitatibus claves vel in propriis manibus relinquat, vel ſtatim easdem ipſis reddat. Ex quibus omnibus colligitur, traditionem & oblationem clavium fieri ſextò, in ſignum cultus, reverentiæ & civilitatis: add. Beſold. *Theſ. Pract. lit. S. n.* 40. *in voc.* **Schlüßel entgegen tragen.** Ita Galeaceum Ducem Mediolanenſem Chriſtiano I. Daniarum Regi Romam iter facienti ſuis in terris claves civitatum obtuliſſe, teſtatur Joh. **Peterſen** in Chron. Holſatiæ part. 4. pag. 373. ib. **der Hertzog ließ dem Könige die Schlüßel zu allen ſeinen Häuſern vnd Stätten/dahin er kam / fürtragen / und quittiret alle ſeine Zehrung.**

XXIX.

Septimò oblatio & traditio hæc clavium fit nonnunquam reſpectu protectionis & advocatiæ. Ita olim moris fuit in monaſterio Herbertingenſi, ut Abbas, ſi quando Ehingerorum Ulmenſium (Fundatorum alicujus in templo ibidem Capellæ) aliquis eò veniret, ei obviam veniens claves cœnobii exhiberet & traderet, referente Cruſio *Annal. Suevic. part.* 2. *lib.* 12. *c.* 6. *in fin.* Et Comites Wertheimenſes aſſerunt, ſe in monaſte-

D rio

rio Grumbachcenſi tanquam protectores, Abbatiâ vacante, jus clavium habere, ita, ut, ſi Abbas ibidem moriatur, Comes Wertheimenſis vel ipſe, vel per ſuos, monaſterii claves, & ea, quæ ad Abbatem pertinuerunt, in cuſtodiã ſuam recipiat, & tamdiu, donec alius Abbas electus fuerit, retineat, juxta Authorem des Wertheimiſchen Gegenberichts *contra* Würtzburg. *c.* 3. *fol.* 40. ſicuti teſtatur Mager. *de Advocat.*. *c.* 10. *num.* 289. ita olim Nobiles de Kemnat tanquam Advocatos monaſterii Irſin in monaſterium illud venientes claves à Prælato avocaſſe, ac ad ſe recepiſſe, refert Author des diſcurſes. Ob die Reichs-Vogtheyen &c. *p.* 106. ubi etiam addit, urbarium quoddam vetus pagi Rindöſchingen in der Baar extare, quo aſſeratur, quod ſi dominus pagi iſtius ein Vogtherr moriatur, & alius Lindaviam veniat, & ab Abbatiſſa Lindavienſi feuda eò pertinentia requirat, & recipiat, Abbatiſſa iſta ipſi claves per noctem & diem ad panis & vini cuſtodiam in monaſterio pertinentes, tradere teneatur, Conf. Knipſchild. *de privil. civit. Imperial. lib.* 2. *c.* 1. *n.* 67.

XXX.

Octavò per traditionem clavium etiam rerum cura atque adminiſtratio transfertur. Ita olim moris fuit, ut novæ nuptæ claves à marito traderētur, quo facit locus Tertulliani in exhortatione ad caſtitatem: *Scio*, inquit, *quibus excuſationibus coloremus carnis inſatiabilem cupiditatem, ex quibus neceſſitatibus adminiculorum deſcendunt ad adminiſtrandam familiam, regendos loculos, claves cuſtodiendas, lanificium diſpenſandum, victum procurandum.* Quo nihil aliud ſignificatum fuit, quàm omnium rerum domeſticarum curam totamque & domus reique familiaris adminiſtrationem ac diſpenſationem ſponſæ committi Petrus Victor. 2. *Antiq. lect.* 2. Briſſon. *de Ritu Nupt. pag.* 527. Hottom. *diſput. feudal. c.* 22. quanquam per hanc clavium traditionem maius aliquod ius nempè dominium rerum maritalium conceſſum eſſe uxori, haud obſcurè colligatur ex lege Romuli apud Dionyſ. Halicarnaſſ. *lib.* 2. *Mulier nupta, quæ ex ſacris legibus cum viro convenit, fortunarum & ſacrorum ſocia illi eſto, utque domus ille dominus, ita & illa domina.* Atque eo ſenſu uxores dominæ dictæ *l. pater filium* 38. §. 4. *l. uxorem* 41. *pr. de legat.* 3. *l. Titia* 19. §. 1. *de ann. legat.*

legat. l. Medico ultim. §.1.*ff.de aur.& argent. leg.* Tiraquell. *ll. connubior.* 5.*num* 11. Negat verò hanc ſocietatem & communionem proprietatis bonorum inter conjuges etiam de lege Romuli. Hill. *Donell. enucleat. lib.* 13. *c.* 21. *lit. H.* colligens id ex verbis mox ſequentibus Halicar. ibi *Marito mortuo non dimidiam partem auferebat, ſed cum liberis in virilem portionem ſuccedebat, & ſi illi nulli, ex aſſe.* Ut itaque priſtina traditio clavium novæ nuptæ facta ex ſententia Hilligeri *d. l.* nil niſi rerum domeſticarum, quæ clavibus concludi ſolent, curam & adminiſtrationem denotaverit Conf. Colleg. Argent. *de Ritu Nupt.* θ. 26.

XXXI.

Nonò clavis cumprimis aurea denotat aliquam dignitatem ac Officium, cui aliquis ſplendor ac eminentior poteſtas adhæret, & per traditionem ejusmodi clavis aureæ id genus officii concedi, nullo caret dubio. Ita Oeconomis Regum populi Judaici clavem auream initio adminiſtrationis datam eſſe, teſtatur Caſaubon. *Exerc.*16. *ad Annal. Baron.* Eodem modo ex ſacris literis conſtat, Sobnam fuiſſe magiſtrum palatii, cujus inſigne fuerit clavis Jeſ.22. Et hodiè etiam clavis aurea eſt ſignum officii ac dignitatis eorum, qui Cämmerer oder Cammer-Herren vocantur. Hoc officium in Rep. noſtra Romano-Germanica eſt apud Electorem Brandeburgenſem Sacri Roman. Imperii Archi-Camerarium, deß Heil. Römiſchen Reichs Ertz-Cämmerer. Cujus officium cumprimis electionem Imperatoris concernens peti poteſt ex *A.B. Tit.*28. Illius inſigne olim fuiſſe claves, hodiè ſceptrum, quod tanquàm argumentum gubernationis Imperatori ab illo præferri, dicit Beſoldus *Theſaur. Practic. V.* Chur-Fürſten. Habet & Imperator ſuos Camerarios, quorum officium petere licet ex Autore deſcriptionis ſtatus peculiaris Ferdinandi II. Imp. c. 8. ibi. *Supremi cubicularii* deß Oberſten Cämmerers *jurisdictioni ſubeſſe cæteros cubicularios omnesq; alios cubiculo inſervientes &c.* Et paulò poſt: *Noctes ipſum ante cubiculum Cæſareum vigilias ſæpe peragere, deauratamq; clavem cubiculariam holoſerica tenia nigræ appenſam in ſignum officii ſui portare. Conſimiles claves cæteros ſubcamerarios vel ſub cubicularios ab hoc ſupremo Camerario manu propria ſuſcipe-*

D 2 *re,*

re, peregrè abeuntes eaſdem illi retrotradere, redeuntes ab eo recipere. Horum cubiculariorum non abſimiles ſunt illi, qui in Electorum aulis hodiè conſpiciuntur. Hos Speidel. *Notab. in v.* Cämmerer/ *lit. C. n. 5.* dicit eſſe quaſi amicos primæ admiſſionis, ac in ſignum officii & honoris illis clavem deauratam ein vergüldeter Schlüſſel tradi, per quam non pulſato oſtio jus intrandi conclave Imperatoris vel Electorum illis concedatur.

XXXII.

Ex dictis clareſcit, non eundem aut unum ſemper eſſe traditionis clavium effectum: Prout enim variat titulus & intentio tradentis, ita diſpar omnino ſit effectus ejusmodi actus, neceſſum eſt. Etenim tradens mox id agit, ut dominium, poſſeſſionem transferat, mox, ut pignus aut ſervitutem conſtituat, mox, ut reverentiam ſuam cultumq; erga ſuperiorem demonſtret, mox, ut alterius imperio ſe ſubjiciat, mox, ut curam adminiſtrationemq; rerum ſub clavibus contentarum alteri demandet, mox, ut de aliquo officio dignitateque alterum inveſtiat &c. Si verò claves ſimpliciter ſine præcedentibus hiſce aut aliis non nominatis cauſis traditæ fuerint, præſumuntur ex communi DD. ſententia cuſtodiæ tantum cauſa traditas eſſe. *Gloſſ. l. cum pater 77. §. pater pluribus 21. ff. de legat. 2.* Schneid. *ad §. 44. Inſtit. de Rer. diviſ.* Menoch. *de præſumpt. lib. 3. præſumpt. 69. n. 3.* Ex iis, quæ hactenus fuêre diſſertata, facili negotio ea, quam ſuprà *θ. 6.* promiſimus, definitio plenior conſit; nempè: *Clavis eſt Inſtrumentum certa forma conſtans, primariò ad claudendas & aperiendas ſeras ſecuritatis cauſa, ſecundariò ad alia jura transferenda inventum.*

XXXIII.

Hiſce jam abſolutis ordinis ratio ſuadet, ut ad effectus Juris clavium oculos mentemque reflectamus, qui, ut eò melius appareant, per ſingulas cauſas rurſus ibimus monſtrando, quem effectum ratione cujuslibet harum in materia Juris clavium habere queamus. Conſiſtit verò effectus cumprimis in actionibus, quæ reſpectu Juris clavium competunt, exindeque fluentibus condemnationibus ad rem, præſtationes, pœnas; vel abſolutionibus. Atque intuitu cauſæ efficientis & quidem proxi-

mæ quæritur hic, qua pœna faber ferrarius, ein Kleinſchmidt aliusque, qui claves adulterinas ſeu Laconicas conficiendo furtis anſam dat auxiliumque præſtat, afficiendus ſit. Et quin talis, qui hoc modo opem furibus ſcienter & dolo malo præſtat, furti teneatur, ambigendum non eſt arg. *l. is qui* 34. *l. in furti.* 50. §. 1. *&* 2. *l. ſi quis uxori* 52. *pr. &* §. 19. *ff. de furtis l. ſæpe* 53. § .2. *ff. de V. S.* §. *Non ſolùm* 11. *Inſt. de Oblig. quæ ex del. naſc.* An verò in eos pœna ſuſpendii ſtatui poſſit, res eſt paulò difficilioris inquiſitionis. Equidem ſi fur ciſtam, ædes vel fores clave adulterina (mit einem Dieterich) aperiens pro effractore habetur, pœnaque laquei puniendus eſt (ſicuti velle videtur Magnif. Dn. Tabor. *in crimin. defin. racemat. p.* 481. contrariam tamen opinionem non omninò rejiciens) tale auxilium clave adulterina factum eodem rigore ac acerbitate plectendum eſt, dummodò adſit animus deliberatus atque doloſus, lucrum ex furto ſperans, nec non auxilium propriâ manu cooperativum, quodque cauſam furti delicto præbeat immediatam, de quibus requiſitis videatur Carpz. *Prax. Crim. p.* 2. *q.* 87. *n.* 15. 16. *& ſeq.* Aſt ob ſolam effractionem furtum morte nequaquam punitur, niſi effractio armis & vi quadam ingenti fuerit perfecta art. 159. *Ordin. Crim.* Atque in aperitione, quæ fit clave adulterina nullam prorſus vim committi, indubitatum eſt, quin nec talis apertura propriè effractio eſt, ſed potius aſtuta, clancularia & doloſa aperitio, quæ quidem impunita eſſe non debet, laquei tamen pœnâ haut coercenda. Atque ita Scabinos ad requiſitionem reſpondiſſe teſtatur Carpz. *Prax. Crim. p.* 2. *quæſt.* 79. *n.* 42. & Juriſpr. forens. *p.* 4. *conſt.* 32. *defin.* 11. *n.* 9. verbis. hat M. K. in guten bekannt/daß er im Churfürſtl. Forberge / in der Nacht durch ein Secret eingeſtiegen/ den Pferdeſtall mit einem Dieterich eröffnet/ und darauß Pferde-Geſchirr/ Getreidich/ und ſonſten andere Sachen geſtohlen. So wird er derowegen offentlich zu Staupen geſchlagen / und nach außgeſtandener Leibes-Straffe / deß Landes ewig verwieſen/ V. R. W. quibus præſuppoſitis, dicendum omnino eſt, talem adjutorem multò minùs pœna ſuſpendii affici poſſe, licet ab omni coercitione haut immunis eſſe debeat.

XXXIV.

Cauſam materialem ſupra diviſimus in ſubjectivam & objectivam, ſubjectivam diximus eſſe perſonas, ad quas claves jure dominii, ſervitutis pignoris &c. pertinent, vel quæ eas tantummodo tenent adminiſtrationis cuſtodiæve cauſa. Atque dominus (ut & hic effectum ſuppeditemus) Rei vindicatione adverſus poſſeſſorem clavium ſolarum vel ſimul ipſius domus ciſtæ &c. cujus gratia comparatæ ſunt, experiri poteſt arg. *l. in rem* 23. *pr. l. ſi quis* 41. *ff. de R.V. l. Actionum* 25. *de Obl. & Act. l. præterea* 20. *ff. de R. V. l.* 2. *l. Julianus* 17. §. 1. *ff. Eod.* Neque hic tantummodò, ſed etiam ille, qui dominium habet utile, qualis eſt Emphiteuta arg. *l.* 1. §. *fin. ff. ſi ager vectig.* Vaſallus 2. *Feud.* 8. *vers. Rei autem*, Superficiarius arg. *l. ſpeciali* 73. §. 1. *l. id eſt* 74. *& ſeq. ff. de R.V.*

XXXV.

Ratione adminiſtrationis ex mandato à procuratore ſuſceptæ oritur actio mandati, ſi fortaſſis tanta ejus negligentia ſit, ut ædes, horrea, conclavia, ciſtas, non bene claudat, aut claves inſtar boni patrisfamilias haut cuſtodiat, perque eam negligentiam conditio mandantis facta fuerit deterior, aut ſi res aliqua perierit arg. *l.* 3. *pr. mand. ui l.* 9. *C. Eod. l. ſi procuratorem* 8. §. 10. *ff. Eod.* Si adminiſtratio ſuſcepta ſit ſine mandato, & negligens cura clavium domino damnum dederit, competit illi actio negotiorum geſtorum *arg. l. liberto* 31. *pr. l. ſi ſervi* 42. *de Negot. geſt. l. ſi autem* 8. *pr. ff. Eod.* Et eum à tutoribus & curatoribus exigatur, ut fideliter & diligenter gerant negotia ejus, cujus tutelam vel curam adminiſtrant, actione tutelæ tenentur, ſi circa claves pupillares eam, quam debent, non adhibent curam ac diligentiam. *arg. l. quicquid* 7. *C. arbitr. tutel.* ſuſpectus etiam fit tutor, ſi contutori ſuo adminiſtrationem ſive actus ſui rationem, item claves pupillares non communicat *arg. l. actus* 19. *cum l.* 3. §. 2. *de Adminiſt. & per tutorum.*

XXXVI.

Cuſtodia quoque clavium varios in jure parit effectus, quos jam ordine videbimus. Audiamus verò prius verba JCti

in

in l. officium 12. §. 2. *ff. de re militari.* ibi. *Officium tribunorum eſt, vel eorum, qui exercitui præſunt, milites in caſtris continere, ad exercitationem producere, claves portarum ſuſcipere* &c. Similes his ſunt hodierni Præfecti militum ſeu Commendanten in civitate, arce, caſtro, aut fortalitio cum manu militari à ſuperiori conſtituti, qui ſi hoſti claves portarum tradant, atque ſic ſine neceſſitate deditionem faciant, crimen læſæ Majeſtatis committunt arg. *l.* 3. *ff. ad Leg. Iuliam Majeſt.* Gail. 1. *de pac. publ.* 7. *num.* 11. cui congruit articul. 53. des Holländiſchen Krieges-Rechtes. Niemand ſoll einen Ort der jhm anbefohlen iſt zu bewahren / auffgeben / oder dem Feinde überlieffern bey Leibes-Straffe. Ad quæ verba notat Pappus *in corpore juris militaris* pag. 161. Dem Feinde einen Ort / der einem zu bewahren anvertrauet und befohlen / auffgeben / iſt ein Crimen læſæ Majeſtatis, ſonderlich wanns ohne Urſach / und mit Betrug geſchicht / *per d. l.* 3. *& Dd. ibi allegat.* Commentarienſium ſeu carceris præpoſitorum item cuſtodum quodnam ſit officium circa cuſtodiam reorum, ſupra eſt expoſitum, qui ſi in claudendo carcere incurioſi fuerint, fortaſſis eum apertum relinquendo, vel non benè claudendo, clavemve ex ſera non extrahendo aut aliàs negligentia aut culpa ſua reo ad fugam occaſionẽ dando, pœna arbitraria tenentur. Conſt. Carol. *Art.* 180. Quam usque ad relegationem extendi poſſe, cumprimis, ſi cuſtos carceratum ſub fide jurata receperit, arbitratur Carpzov. *prax. Crim. part.* 3. *quæſt.* 3. *n.* 113. Si verò fraus eorum ſubſit, graviter puniantur *l. milites* 12. *l. non eſt fin. ff. de cuſtod. & exhib. reor.* imo & illi pœnæ ſubjiciendus, cui obnoxius docebitur fuiſſe, qui fugerit *l. ad Commentarienſem* 4. *C. de cuſtod. reorum.* Hodiè verò hoc caſu gravior, quam fuſtigationis pœnâ non infligitur commentarienſi ſeu miniſtro judicis jurato (dem Gerichts-Knechte / dem Land-Knechte) Conf. Excell. Dn. Struv. *Syntagm. Jur. Civ. de cuſtodia & exhib. reorum.* §. 14. De effectibus quæ reſpectu cauſſæ objectivæ, item formæ haberi poſſunt, infrà in contrariis commodior erit agendi locus & occaſio.

XXXVII.

Finem clavium, præter illum vulgatum ac ordinarium

conſtituimus ſupra eum, quod nempè claves nonnunquam ſymbola ſint apta nata repræſentandis transferendisq; variis juribus, quorum alterum volumus eſſe participem. Et ſi merces in horreis poſitæ ſint venditæ, quæritur an ad transferendum earum dominium nihil aliud requiratur, quàm ut claves apud horrea tradantur. In ſæpè allegata *l. clavibus* 74. *ff. de Contr. Empt.* JCtus Papinianus nihil amplius requirere videtur. *Clavibus*, in quit, *traditis ita mercium in horreis conditarum poſſeſſio tradita videtur, ſi claves apud horrea traditæ ſint, quo facto confeſtim emptor dominium & poſſeſſionem adipiſcitur.* Attamen hoc aſſertum non eſt ita accipiendum, quaſi ea, quæ communi jure de contractu Emptionis Venditionis ſtatuta ſunt, hoc in negotio benè poſſint abeſſe. Dicendum itaque eſt, mercium in horreis conditarum dominium per traditionem clavium horrei non aliter transferri, quàm ſi emptor venditori pretium ſolverit, vel alio modo ſatisfecerit, veluti ex promiſſore aut pignore dato §. *Venditæ verò* 41. *Inſt. de Rer. Div.* Ex alia verò cauſa, ſi quis rem ſuam ſciens tradiderit, ſtatim eam facit accipientis neq; amplius quicquam ad translationem dominii requiritur. Cur verò tàm variè? Nempè in cæteris negotiis ſcilicet donatione, dote, legato voluntas tradentis hæc eſt, ut ſimpliciter dominium in accipientem transferatur; hic verò voluntas illa tradentis non eſt ita manifeſta, dum non ita clarè de voluntate eius conſtat. Quippè, qui rem venditam tradit, hac cum conditione & lege illud facere cenſendus eſt, ſi nempè pecunia ſibi protinus ſolvatur, quod cautè monet Vinnius *ad d.* §. *Venditæ verò* 41. *Inſtit. de Rer. Div.*

XXXVIII.

Dum hoc loco de effectu traditionis clavium agimus, non incommodè nonnulla de clavium traditione per hoſpitem aut horrearium viatori vel conductori facta, monenda veniunt, Et, ſi quæſtionem inſtituere velimus, quid eiuſmodi traditio operetur, deprehendimus, eam in utramque partem eſſe controverſam. Quod ſi enim cauponem ſecurum ea traditione non fieri conſtituerimus, occaſionem furandi iis, qui hoſpitio ſuſcipiuntur haud incommodam præbere videmur. Petunt enim ab hoſpite

ſpite ſcrinii vel conclavis, resque ſuas, quas inibi occultarunt, furto ſibi ablatas eſſe docent, contra verò ſi traditio clavium hoſpitem ab omni præſtatione tutum ac immunem faciet, dabitur & eo caſu cauponibus materia delinquendi, quia vel alia vel adulterina clavis quovis tempore furtis inſervire poſſet, hincque factum eſſe putamus, quod Gloſſa in *l. 1. C. Locat.* planè contrarium ſtatuat illius, quod in *l. debet fin. §. 1. ff. Nautæ caup. ſtabul.* aſſeruerat. Ideoq; Petrus Peckius ad *l debet 7. ff. Naut. caup. & ſtab.* diſtinctione rem temperat, dicitque; ſi ab initio traditis clavibus proteſtatione ſimul facta periculum à ſe caupones reiiciant, minimè illos teneri; Si verò non proteſtentur, contra eſſe, & ſibi eos imputare debere, quod tale auxilium neglexerint. Nulla enim facta proteſtatione, magis præſumendum eſt, claves viatoribus à caupone eum in finem datas, ut viator poſſit ſecretò ingredi, res ſuas ſecretò inferre vel auferre, condere & promere, ne invitentur fures, uti benè notat Sichard. ad *l. 1. & 4. C. Locat.* Id ſimul addens, horrearium vel cauponem tradentem claves ſine prædictione non teneri de culpa leviſſima, colligens hoc ex gloſſa quæ in *d. l. debet fin. §. 1. ff. Nautæ, caupon.* dicit, quod propter traditionem clavium horrearius mitius teneatur, quâ in re non omninò nullam eſſe debere authoritatẽ Gloſſæ arbitramur. Quod verò nonnulli putant, cauponem proteſtantem tum à cuſtodia liberari, ſi hoſpes vel conductor conſenſerit, per *d. l. debet fin. pr.* ibi. *ſi prædixerit, ut unuſquisq; vectorum res ſuas ſervet, neq; damnum ſe præſtiturum, & conſenſerint vectores prædictioni, non convenitur*; vix poterit admitti, aut ex illo textu probari; Nam ſubintelligenda hic eſt cum Gloſſa dictio *maximè* quod nempè tũ maximè & imprimis non teneatur caupo, ſi conſenſerit prædictioni viator, qui licet non conſenſerit, tamen ille propter proteſtationem non amplius poteſt conveniri. *Quid verò ſi claves non in principio ſed poſtea traditæ?* hoc caſu ne proteſtationem quidem liberare cauponem putat Gloſſ. per *l. ſicut 5. C. de Oblig. & Act.* quam ſe-

bach. ad *tit. ff. Nautæ caup.* &c. hanc quæſtionem eſſe facti, & ex conjecturis diiudicandam. In Senatu Pariſienſi, ſi claves traditæ ſint hoſpiti, pro fama cauponis pronunciari ſolere, ſi alia non repugnent, teſtatur Chopin. *lib.* 2. *ad conſ. Pariſ. tit.* 8. *& lib.* 3. *Tit.* 3. Add. Arn. Vinn. *in notis ad Peckium in d. l.* 7. *ff. Nautæ caupon.* Quemadmodum verò, uti jam multis eſt demonſtratum, traditio clavium juncta proteſtatione liberat cauponem à cuſtodia, ita contra ſi recipiat claves ad eam cameram, quam ut caupo locavit, de omnibus ille culpis tenetur. Sichard. ad *l.* 1. *&* 4. *C. Locat. n.* 5.

XXXIX.

Pertinere quoque hunc ad articulum videtur quæſtio elegans, quam movet Cujacius *ad Africanum tr.* 8. *pag.* 128. *num.* 40. cuius deciſio ut reddatur facilior expeditiorque, præmittenda ſunt ſequentia. Debitum præter alios modos etiam extinguitur per ſolennem oblationem, cuius tres à DD. conſtituuntur partes, *oblatio, conſignatio, depoſitio.* Oblatio conſiſtit in his. *Primò* quando debitum offertur in juſta ſumma una cum uſuris *l. ſi per* 9. *C. de uſuris.* (2.) teſtibus adhibitis idq; propter debitorem, ut probare poſſit oblationem acceptam *d. l.* (3.) tempore opportuno *l. qui hominem* 34. *ff. de ſolut.* (4.) in loco opportuno, qui eſt ille, ubi peti poteſt, ſcilicet locus contractus & domicilii debitoris *l. quod legatur* 38. *ff. de judic.* Conſignationis forma hæc eſt, ut pecunia ſacculo incluſa obſignetur annulo aut ſigno *l.* 1. §. 24. *depoſiti.* Forma depoſitionis eſt, ut in publico loco deponatur, aut in æde ſacra, aut ibi, ubi judex deponi juſſerit: Hæc omnia ſi obſervantur (1.) ipſo jure tollitur obligatio ſine periculo, & indiſtinctè. (2.) pignora *l. debitores* 10. *C. de pignor.* & aliæ acceſſiones, ut fidejuſſor & mandator liberantur arg. *l. in omnibus* 43. *ff. de ſolut.* (3.) uſurarum obligatio tollitur, & pœna *l. qui decem* 72. *ff. de ſolut.* quibus ita præſuppoſitis, quæritur, *anne his effectibus gaudeat ille, qui ad imitationem obſignationis deponit ciſtam obſeratam, cui pecunia debita eſt immiſſa, ac claves ciſtæ retinet?* Dubitationem movet Cujac. *d. l.* his verbis: *Accidit aliquando, ut, qui vendiderat ſub lege redimendi, pecuniam ſua die offerret, & obſeratam deponeret, & inefficax diceretur depoſitio, quod claves retinuiſſet; hoc argumento; Clavibus traditis*

trans-

tranſlata videtur poſſeſſio l. Clavibus 74. ff. de Contr. Empt. l. 1. C. de Crimin. expil. hæred. l. 2. C. de peric. & commod. rei vendit. Ergo retentis non videtur tranſlata, nec igitur ea depoſitio pro ſolutione eſt. Quæ utut aliquam præ ſe ferant ſpeciem, tamen non ſunt tanti ponderis, ut eiusmodi depoſitionem non pro ſolutione habeat Cujacius, paulò poſt ſubiiciens hæc: *In quo fuit calumnia ſumma. Nam etſi non tradantur claves, transferri tamen aliis modis poſſeſſio poteſt, & in depoſitione transferri poſſeſſionem, neceſſe non eſt. Et eodem argumento, non aliter obſignata pecunia pro ſoluta haberetur, quàm remotis ſignis, quibus obſignata eſt, aut facultate eorum removendorum creditori data.* Conf. Hilliger. Donell. Enucleat. *lib. 16. cap. 14. Lit. A.*

XL.

Contraria dum perluſtrare animus eſt, lubet inhærere eidem methodo, & conſiderare, quid contrarietur ac reſiſtat cauſæ efficienti, quid ſubiecto, quid obiecto, quid formæ, quid fini. Et cum iam ſit monitum, qua pœna afficiantur fabri clavibus adulterinis furta promoventes, ita & planè prohibitum legimus, ut tales claves confiant, quæ aliquam mali ſuſpicionem parere poſſunt. Uti enim Dn. Dithern in addit. ad theſaur. practic: Beſold. notat, Iſt Ann. 1621. zu Nürnberg vnter anderen verbotten worden / Schlüſſel in wachs nachzutrucken / oder verdächtiger argwöhniſcher Geſtalt machen zu laſſen. atque hæc & ſimiles conſtitutiones contrariantur cauſæ efficienti clavium, impediunt enim, ne quævis claves promiſcuè conficiantur.

XLI.

In conſideratione cauſæ materialis ſubjectivæ ſiſtimus mulierem, cui, uti olim claves fuère traditæ initio matrimonii eum in finem, uti omnium rerum dòmeſticarum adminiſtratrix eſſet, ita contrario modo cum repudiabatur, claves illi adimebantur. Cic. Philipp. 3. *Mimam exegit, claves ademit, res ſuas ſibi habere juſſit.* Vel ab ea deponebantur Ambroſ. Epiſt. 65. *Mu-*

& communem amicitiam, res tuas ocyus tolle, & alium locum, quem polluas, quære. Gothofr. *ad l. 2. ff. de divort. & repudiis.* Quæritur verò hic, *an negligens clavium cuſtodia ex eaq; proveniens bonorum profuſio ab uxore facta marito modicam coercitionem in eam largiatur?* Equidem de Jure Civili vix illud admittet. Weſemb. qui *Paratitl. de Ritu nuptiar. n. 6.* arbitratur, eo jure uxorem in poteſtatem mariti non tranſire per *l. 1. cum ll. ſeqq. ff de lib. Exhib. l. 2. §. quod ſi ff. ſoluto matrim. l. quoties 29. ff. Eod. l. 1. §. 1. ff. de lib. agnoſcend.* Sed parum adjuvatur ejus ſententia allegatis textibus; Potiùs ergo dicendum eſt, ob talem inertiam ac incuriam uxoris maritum habere jus ac poteſtatem eam emendandi ac modicè caſtigandi. Compatibiles enim ſunt poteſtates, ubi rectè notat Bachov. ad d. l. Weſembecii, quam pater in filiam nuptam habet, & quam in eandem maritus. Facit *l. 1. §. 7. C. de Rei uxor. action. l. 1. C. de Emend. propinquor. l. locum autem* 17. *§. 1. ff. de Uſufructu. l. ſed & ſi* 5. *§. fin. & l. Præceptoris 6. ff. ad L. Aquil. l. item quæritur* 13. *§. 4. ff. locati l. 2. in fin. ff. de Obſequiis parent.* De Jure divino id minus dubii habet per text. Eccleſ. *c. 25. 30. 36.* ut & de Jure Canonico & conſuetudine hodierna, per ea quæ tradit Weſembec. *d. l.* Add. Arniſæ. *de Jure connubior. cap. 7. ſect. 4. n. 10.* Quin & claves cumprimis rerum pretioſiorum in manibus ſervorum aliorumve repertæ concurrentibus ſimul aliis indiciis haut levem contra mulieres pariunt adulterii præſumptionem; quemadmodum tali in caſu pronunciare non dubitat Erneſt. Cothmannus *Vol. 2. Conſil. Reſp. 16. n. 72.* Cujus verba cum in hanc rem ſint elegantiſſima, hic adſcribere non pœnitebit. *Quin & octavò uxorem mediaſtino illi claves cellæ aliaq; ad mediaſtini officium minimè pertinentia tradidiſſe & commendaſſe, teſtes nonnulli conteſtantur. Quid verò magis ſuſpectum, quam claves, à quarum cuſtodiâ uxori nomen heræ, dominæ & matrisfamilias principaliter attribuitur, mediaſtino famulo committere? Nihil certè id eſt aliud, quam famulum in herum, & rurſus herum in ancillam periculoſâ metamorphoſi tranſmutare ac transformare &c.*

XLII.

In cauſâ materiali objectivâ contraria nulla alia ſunt,
quam

quam ſi receptacula, in quibus res reconditæ ſunt, vi vel dolo aperiuntur, hæcque res varios in jure ſortitur effectus; illos enim, qui rem ſub clave reconditam furantur, gravi & ſolitâ majori affici debere pœnâ, jam ſuprà aliquâ ex parte probatum dedimus. In legibus Salicis hujus rei clariſſima extant argumenta. Ita in *Tit.* 7. §. 3. hæc reperitur ſanctio. *Si quis acceptorem intra clavem repoſitum furaverit, IDCCC. den. qui faciunt ſol. XLV. culp. jud. exc. cap. & dil.* & *Tit.* 9. §. 1. *Si quis unum vas apium de intro clave, aut ſub tecto furaverit, IDCCC. den. qui faciunt ſol. XLV. Jud. except. capit, & dil. &* §. 3. *Si quis unum vas cum apibus inter alia vaſa ſub tecto aut ſub clave furaverit, cauſam ſuperius comprehenſam convenit obſervari Tit.* 23. §. 4. Si *quis aſcum de intro clavem repoſitum & in ſuſpenſo pro ſtudio poſitum furaverit IDCCC. den. qui faciunt ſol. XLV. Culp. jud. exc. cap. & del. & Tit.* 29. §. 33. *Si quis Screonam quæ ſine clave eſt, effregerit, DC. den. qui faciunt ſol. XV. culp. judic.* Non incommodè hoc loco quæritur, *quæ pœna reo decernenda ſit, ſi carcerem effringat, & indè aufugiat?* Si hujus quæſtionis deciſio petenda eſt ex *l. 1. pr. ff. de effract.* dicendum, pœnæ capitis talem effractorem addicendum eſſe. Quodnam verò ſupplicium per capitis pœnam ibidem intelligi debeat, anxiè laborant interpretes, referente Proſper. Farinac. *in prax. crimin. lib.* 1. *tit.* 4. *quæſt.* 30. *n.* 2. *ſeqq.* Rectius diſtinguimus cum Carpz. *in prax. Crim. part.* 3. *quæſt. III. n.* 94. *ſeqq.* Aut incarcerati tale delictum commiſerunt, quod capitis pœnam meretur, aut verò levius perpetrarunt crimen: illo caſu capitis pœna afficiendi ſunt, hoc caſu arbitraria tantummodò, quæ ultra fuſtigationem non extenditur, quanquam & hæc multis caſibus mitigari ſoleat, veluti, ſi quando incarceratus per negligentiam cuſtodum aliorumve opem & auxilium evaſit, aut quando injuſtè fuit incarceratus, aut quando animum habuit redeundi. Ita Scabini Lipſienſes apud Carpz. d. l. reſponderunt. Habt

gangen/ ꝛc. So werden ſie beyde/ wenn ſie wieder zu Hafften kommen/ einen Monat lang mit Gefängnuß geſtraffet/ und mit Waſſer und Brodt geſpeiſet / V. R. W. Si quis alias ſeras avellit aut fores effringit, interdicto quod vi aut clam tenetur, arg. *l. Is qui* 11. §. 1. & 2. 3. *ff. quod vi aut clam. l. nam & ſi* 9. *ff. Eod.* Ex quo textu illud benè obſervandum, quod dicitur in §. 1. *Si tamen ſera vel clavis vel cancellus vel ſpecularium ſit ablatum, quod vi aut clam agi non poterit.*

XLIII.

Quando clavis amittitur, & nova fit, dominus in inſigni periculo rerum ſuarum eſt conſtitutus, fieri enim poteſt, ut priſtina clavis in lucem protrahatur, ac ab alio inveniatur, qui eo ipſo nanciſcitur occaſionem alterius bonis inſidiandi. Ut igitur furta evitentur Dn. Höppinck de *Jure Sigillorum c.* 14. *n.* 59. hanc ſuppeditat cautelam, ut clavi novæ aliquid addatur ad mutandam priſtinam ejus figuram, & hoc ad contraria formæ pertinet. Fini clavium contrariatur earundem uſus perverſus ac rarus; cui inſerviunt claves adulterinæ vel Laconicæ Dieterich- und Diebes-Schlüſſel / de quibus ſupra jam fuêre nonnulla monita. Illud tantummodò hic in quæſtionem vocari meretur. An, ſi furtum ſit commiſſum, adhibitis clavibus adulterinis, aliisque ad aperiendas ſeras inſtrumentis aptis, illius furti reus veriſimiliter præſumatur ille, apud quem repertæ ſunt claves adulterinæ, aliave ejusmodi inſtrumenta ad aperiendas ſeras apta, Bey dem Dieterich/ Spär oder Brechzeug gefunden werden. Menoch. *lib.* 5. *de præſ. præſ.* 31. *num.* 17. ſimpliciter id affirmat. Sed Bocerus *in tract. de quæſt. & tort. cap.* 3. *num.* 84. ejus ſententiam illo tantum caſu admittit, ſi reus ejus ſit conditionis homo, ut malè de ipſo alias etiam, maximè quoad furtum præſumatur, aliava adminicula concurrant juxta ſanctionem Criminal. *art.* 43. atque hanc ſententiam ut æquiorem amplectitur Carpzov. *prax. Crim. p.* 3. *quæſt.* 122. *n.* 52. 53. *ſeqq.* dicens: Contingere potuiſſe, ut ille, qui revera furtum commiſit, in alterius honeſti viri domum per feneſtram inſtrumenta talia ſuſpecta conjecerit, ut proinde hoc judicium per ſe ſolum ad quæſtionem

nem habendam minimè ſufficiat. Confer. Zanger. *de Tortur. c.* 2.*n.*181.

XLIV.

Affinia Juris clavium ſunt, Jus Aperturæ, Jus Annulorum, Jus Sigillorum, de quibus omnibus ſi ſigillatim agere vellemus, haberemus latiſſimum dicendi campum. Sed hoc inſtitutum noſtrum jam quidem non patitur, nec fortaſsè opus eſt, cum dudum hæ materiæ inſignes nactæ ſint Juris interpretes, & quidem Jus aperturæ *Bidenbachium, Heringium, Limnæum* & noviſſimè *Ahaſverum Fritſchium.* Jus annulorum & ſigillorum *Eggebertum Schaumium, Kitſchium, Theodorum Höppingium,* ad quos Benevolum Lectorem ſtudio brevitatis hac vice remittimus.

F I N I S.

Nobiliſſ.° atq; Præcellenti

DN. BEHRENS,

U. J. Cand.

inauguraliter Diſputanti.

QUæ *Clavium de jure* doctè diſſeris,
album merentur, *ô Amice*, calculum.
Tu primus aperis hanccé gloriæ viam.
ô illa proni ſit favoris prodromus,
quæ Te coronet proſpero rerum ſtatu
in ſpem Parentis commodumque Patriæ!

Honoratiſſ.i
Dn. Conſalini
honoribus
feliciter acclamat
Gerardus von Stöcken
U. J. D. & Inſtit. Imperial.
P. P. h. t. Facult. Juridicæ
DECANUS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE